Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 2333
Quelle:
Copyright:

tate procedit Noſtri narratio per *Adrianum* VI. *Clementem* VII. *cujus Pontificatu nullum* (nihil?) *Roma uidet inclementius*, ad *Paulum* III. e cujus ore ſe audiviſſe teſtatur: *Tria ſibi in toto pontificatu meditanda propoſuiſſe: Pacem inter chriſtianos Reges, Concilium verum generale et oecumenicum, Bellum denique aduerſus chriſtiani nominis hoſtes*, cumque *Seripandus* 70. aetatis annos obtenderet, ſubjeciſſe: *Satis ſibi eſſe, ſi aſpirante Deo hęc tria pia, ſanctaque opera inchoaret, quę iuniores alij, robuſtioresque poſtea Pontifices perficerent.* Hinc expediuntur omnia Pontificis et Principum aliorum Conſilia et Acta usque ad an. MDXLV. quo ſic Noſter: *Eram ego Romae et generalis ordinis mei Magiſter, qua, ut reor, ratione VI. Kal. Aprilis Dominicus Card. Torren. Cardinalium Collegij Decanus me accerſivit, juſſitque Pauli Pont. nomine, ut Tridentum ad Concilium proficiſcerer.* Atque deinceps *Actionum Series* in Titulo praefixa inchoat, in qua praecipua: *Seripandi Allocutio* de nomine Concilii, *Admonitio* habita in *Seſſ.* I. ab *Ang. Maſſarello*, ut extat *T. cit. Conc. Labb. col.* 9. hic vero a *Seripando* tantum recenſita, et adſcripta *Reg. Polo*, quem adpellat *Virum, cui nihil adeo erat proprium, quam tacere, et non niſi juſſum, aut aliqua neceſſitate aſtrictum loqui, nihil tam perenne ac familiare, quam pectus pluribus, maximisque rebus complere, et quę taciturnitate ac ſilentio indignę prorſus eſſent; Bulla Reformationis Pauli*, ut hic inſcribitur, *concepta, non tamen edita; De Gallorum Poſtulatis Sententia; Decreta Praelatorum Gallię anno MDLXI. menſe Octobri*; Varia *Wittebergae* et *Poiſſiaci* tractata.

Fol. 139. Scriptum de Abuſibus in Eccleſia ad Caeſarem, cujus Titulus illepide atramento inductus eſt. Ejus Prooemium infit: *Quandoquidem corpus, quod afficitur, curari nequeat, niſi morbi prius detegantur* &c. Caput vero I. ita: *Quamvis, clementiſſime Cęſar! catholica Jeſu Chriſti Eccleſia, cuius nos eſſe membra merito gaudemus* &c. Exponuntur deinceps ſingulis Capitibus ſingulorum in Eccleſia Ordinum vitia ab ignoto Autore, quem fortaſſe *Joh. Fabrum*, aut *Ge. Wicelium* habeas.

Fol. 151. reſumuntur Acta in Concilio praecipue de Miſſa, Conceſſione Calicis, Sacramento Ordinis, allatis non modo *Seripandi*, ſed variorum aliorum Sententiis et Concluſionibus, Acta cum *Gallis* &c. quorum quaedam *T. cit. Concil.* impreſſa leguntur.

Fol. 263. Epiſtola Card. *Caroli Lotharingii Romam* ſcripta *Tridento 1. Febr.* ad *Bertonum* Procuratorem ſuum circa Quaeſtionem de Jure Poteſtatis epiſcopalis, et Reſidentiae Epiſcoporum, quam ſummatim exponit *Pallavicinus* P. III. L. 19. c. 16. n. 6. Eſt ea partim italico, partim latino ſermone; verum e *Codice* principium exciſum eſt usque ad verba: *Per il manco, io ſcarico la*

mia